



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ecclesiæ Avtoritate, & de ueterum scriptis Libellus

Melanchthon, Philipp

Vitebergae, 1550

VD16 M 3084

De Augustino.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35753

PHILIP. MELANTH.

De Augustino.

Augustinus multas necessarias contro-
uersias tractauit, refutauit Arianos, Mani-
cheos, Donatistas & Pelagianos. Nam irrepse-
rant iam in Ecclesiam philosophicæ opiniones,
quas Pelagius confirmauit, Euangelium trans-
formans in Philosophiam, contendebat enim
nihil esse peccatum originis, homines legi Dei
satisfacere posse, & illa externa obedientia
mereri remissionem peccatorum, iustos esse, &
mereri uitam æternam. Nihil de fide in Chri-
stum, nihil de auxilio Spiritus sancti dicebat.
Hæc Pelagij doctrina non Euangelica, sed phi-
losophica erat, Sicut propemodum scholastico-
rum Doctorum sententia idem uult, nisi q̄ hi
aliquid assuunt superstitionum monasticarum.
Et nunc rursus multi delabuntur in opiniones
Pelagianas, quia sunt plausibiles rationi.

Augustinus igitur sua ætate doctrinam
Euangelij, de gratia & fide in Christum, pene
extinctam restituit & rursus accendit. Propter
hoc, beneficium Ecclesia ei plurimum debet.
De peccato originis multo loquitur maiorē

E 2 perspicuitas

DE ECCLESIA.

perspicuitate, quàm ceteri omnes. Distinctus
etiam & rectius loquitur de libero arbitrio,
uiribus liberi arbitrii homines facere posse
externa legis opera, & honesta opera ciuilia.
Sed sine Spiritu sancto non possint habere motus
spirituales, uerum timorem Dei, ueram fidem
etiam, ueram patientiam, hoc est, nouitatem,
quam oportet in ijs existere, qui sunt saluandi.

Tradit utile discrimen literæ & spiritus,
docet de gratuita remissione, monet, quomodo
Paulus intelligendus sit, cum inquit: Ex operibus
legis nemo iustificatur, quod uidelicet non tantum
detrahat iustificationem ceremonijs, sed etiam
moralibus operibus. Hac admonitione ualde
opus fuit Ecclesie. Nam Origenes & multi
eum secuti sparserant falsam interpretationem in
Ecclesia, tantum ceremonijs detrahi iustifica-
tionem, & finxerant homines legi satisfacere,
& iustos esse propter opera. Ideo Augustinus
diserte hanc questionem tractat in libro de spi-
ritu & litera, & affirmat Paulum uniuersaliter
loqui etiam de moralibus, cum negat nos legi
iustos esse. Item, negat homines legi satisfacere,
Rom. 8.

Hinc

PHILIP. MELANTH.

Hanc admonitionem Augustini, & hunc locum ipsius plurimum refert meminisse, quia cum ratio non satis perspiciat magnitudinē peccati originis, & naturalis corruptionis, facile delabatur ad illas opiniones, ut putet legi satisfieri, & homines propter opera iustos esse. Ita ē regione obscuratur & amittitur iusticia fidei, & uera exercitia spiritualia excutiuntur, scilicet uera inuocatio, quam oportet niti sola misericordia. Sicut nunc deridemur ab aduersarijs, qui uolunt uideri prudentiores, ac uociferantur nos inepte exaggerare infirmitatem, & ridicule detrahere operibus iustificationem, cum tamen ratio non aliud intelligat esse iusticiam, nisi obedientiam iuxta legem.

Sed doctrina Euangelij de peccato, item de iusticia fidei, est arcana, & peculiaris sapientia uera Ecclesie, quam etiam pauci ex scriptoribus agnouerunt, ac saniores, alij obscurius, alij clarius, agnouerunt. Scotistæ & similes prorsus obruerunt. Ideo postquam Deus hæc rursus patefecit, diligenter tueamur illustratam doctrinam.

E 3 Porro,

DE ECCLESIA.

Porro, cur aduersarij uicissim non confitentur, quàm sit absurdum, dicere, q̄ Christus liberauerit nos tantum à ceremonialibus. Item, liberatio tantum ad ceremonialia pertinet, non profuit Patribus ante Moysen. Necesse est autem statuere, q̄ liberatio à lege pertineat ad uniuersam Ecclesiam, à principio mundi usq; ad finem. Hæc copiosius disputantur, ut dixi, in libro bello de spiritu & litera.

Deniq; quid sit liberatio à lege, prorsus ignorant illi, qui intelligunt eam tantum de ceremonijs. Ut omnes homines post lapsum Adæ sunt oppressi peccato, ira Dei, morte, ingentibus uitæ erumnis, æternis pœnis, ita sunt omnes onerati lege, quæ peccatum arguit, nos accusat, & æternis terroribus occidit, ut Paulus inquit. Ergo liberari à lege, est ab illa accusatione liberari, ne simus rei iræ Dei, & æternæ mortis, est non tantum à ritibus aut externis spectaculis liberari, sed multo potius à lege perterresciciente, maledicente, damnante & interficiente nos eripi, Cum uidelicet alia res proponitur, propter quam iusti pronunciamur, scilicet, Filius Dei, factus pro nobis uictima.

PHILIP. MELANTH.

Sic Adam, Noe, Abraham, & omnes electi ante Moysen à lege liberati fuerunt, Accusabantur à lege, exercebantur horribilibus terroribus & sensu iræ Dei, & maledictionis. Sed inter hos terrores erigebantur agnitione misericordiae, propter uenturum Dominum promissæ, & statuebant se iustos pronunciarum propter uenturam uictimam, non propter legem. Norant peccata esse non tantum externa delicta, sed interiorum immundiciem, horribilem dubitationem de Deo, fremitum & indignationem aduersus Deum in rebus aduersis, & ceteros prauos impetus, & sciebant non aliqua lege tolli uel ipsum peccatum & naturæ infirmitatem, uel iram Dei, sed norant se agnitione & fiducia promissi Saluatoris ex tantis arumnis eripi. Sic & illi sunt liberati à lege morali, uidelicet, iudicante & occidente eos, & ab æterna ira, quam lex denunciat. Norant in illa naturali noticia non proponi gratuitam remissionem peccatorum. Ideo aliunde petebant remissionem, Quod si sensissent ita se iustos fore, cum sine uicio essent, succubissent in agone conscientie, sed norant ideo promissum esse Saluatorem,

DE ECCLESIA

forem, ut statuerent se placere Deo, etiam si
essent indigni & immundi. Sic sentiebant se ius-
tos esse, non propter legem, sed propter uenturum
Saluatorem.

Has tantas res complectitur liberatio à le-
ge, quas non intelligunt homines securi, qui
nesciunt, quid sit uera poenitentia, inuocatio,
deniq; qui non exercentur ad afflictionibus, &
aut habent animos occupatos uoluptatibus, aut
delectantur suis opinionibus, & aspernantur
uerbum Dei, aut ad suas imaginationes infles-
sunt ac corrumpunt. Nonnulli aduersarij astu-
tiores, & si uident Augustini & nostram inter-
pretationem uere esse Pauli ac Propheticae &
Apostolicae scripturae sententiam, tamen obstre-
punt nobis, & Origenis, Hieronymi, Chryso-
sti, & nescio quorum, autoritatem citant, non
q; illos uere ex animo probent, sed tantum, ut
fucum faciant imperitis, ne uideantur uicti.

Non enim adferunt aduersarij ad haec cer-
tamina bonam conscientiam & studium quaer-
rende ueritatis, sed odium nostri, contemptum
Euangelij, curam tuende suae autoritatis. Quid
popu

PHILIP. MELANTH.

populus de Christo sentiat, quomodo erudiantur
 Ecclesie, nihil ad se pertinere iudicant, ac par-
 tim aperte exercent sycophanticam, ut Coch-
 leus, Vuicelius & similes, partim sunt tyranni,
 & tyrannorum satellites, qui propter sapientie
 aut uirtutis opinionem gubernant Pontificum,
 Regum & Principum consilia, cum sint homi-
 nes ἀθεοί, qui in uniuersum arbitrantur religio-
 nes commenticias esse, ac sibi ipsi mirum in mo-
 dum hoc nomine placent, quod ausint ἀντιπε-
 ῖν πρὸς τὰς θεογονίας, ut ille apud Comi-
 cum inquit. Et tales dicturi sunt sententias in
 Synodis de Christi gloria, cuius nomen esse fa-
 bulosum cogitant.

Proinde pios lectores adhortor, primum
 ut considerent genera doctrinae, utri simpliciter
 & sine sophistica sententiam scripturae Pro-
 pheticae & Apostolicae proponant. Deinde, cum
 Patres citantur, quae dicta Patrum sunt consen-
 tanea diuinae uoci. Est enim magna dissimilitu-
 do Patrum. Postremo, ut Paulus iubet probare
 spiritus, uoluntas utriusque partis spectanda est,
 & summa consilij. Illud agunt aduersarij, non
 E S ut aliquid

DE ECCLESIA.

ut aliquid emendent, sed ut qualicumq; præterea
tu defendant suam tyrannidem, confirment &
muniant opes. Ideo Reges & Pontifices adun-
santur coniugio Sacerdotum, quia uident coelis
batum ad retinendam potentiam & opes expe-
ditorem esse. Hoc modo cum extent nota im-
pie uoluntatis in quibusdam manifestis articu-
lis, satis apparet eos non agitari bono Spiritu,
Sed esse hostes Christi, & nec in cæteris articu-
lis querere ueritatem. Quare eorum iudicia
constanter repudiamus.

Psalmo 42. affirmat renatum non esse
iustum propter opera, sed fide, Sic enim inquit:
Plane time, si iustum te dicis, si non habes illam
uocem ex alio Psalmo: Ne intres in iudicium
cum seruo tuo, Nam si iudicium exhibueris sine
misericordia, quo ibo? Si iniquitates obseruaue-
ris Domine, Domine quis sustinebit? Ne intres
in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur
in conspectu tuo omnis uiuens. Ergo si non
iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens,
quia quicumq; hic uiuit, quamlibet iuste uiuit,
ne illi, si cum eo in iudicium Deus intrauerit.

NAM

PHILIP. MELANTH.

Nam & apud alium Prophetam arrogantes
& superbos sic obiurgat: Quare mecum iudi-
cio contenditis? Omnes dereliquistis me, dicit
Dominus. Noli ergo iudicio contendere, da ope-
ram esse iustus, & quantumcunq; fueris, confi-
tere te peccatorem esse, spera misericordiam,
& in ista humili confessione securus alloquere
turbantem te, & tumultuantem aduersus te ani-
mam tuam, Quare tristis es anima mea, &
quare conturbas me, forte in te uolebas speras-
re, spera in Domino, non in te, quid enim es in
te, quid es de te. Ille sit sanitas in te, qui accepit
uulnera propter te, & inquit: Spera in Domi-
num.

Psal. 31. Qui sunt beati? Non illi, in qui-
bus non inueniet peccatum, Nam in omnibus in-
uenit, Omnes enim peccauerunt, & egent glo-
ria Dei. Si ergo in omnibus peccata inueniun-
tur, remanet, ut non sint beati, nisi quorum res-
missa sunt peccata. Hoc ergo Apostolus sic com-
mendauit: Credidit Abraham Deo, & reputas-
tum est ei ad iusticiam. Hic recte accommodat
dictum de fide, & testatur se fidem intelligere,
non tantum historie noticiam, sed fiduciam, qua
confidimus

DE ECCLESIA.

confidimus nobis remitti peccata propter Christum. Nec uero quisquam potest assequi Pauli sententiam, nisi sic intelligat nomen fidei. Hoc uere est, ut dicitur, in foribus errare, fidem tantum intelligere noticiam historiae, non fiduciam promissae misericordiae propter Christum. Nec mirum est, Monachos tota uia deerrasse in enarrando Paulo, quis in hoc ipso loco turpiter hallucinati sunt. Et nunc aduersarijs haec caligo praecipue impedimento est, quo minus recipiant doctrinam de fide, quia nomen fidei non recte intelligunt. Cur non expendunt talia Augustini dicta, quale hoc est, quod modo recitauit. Hic testatur Paulum hoc uelle, Abraham pronunciarum iustum, quia crediderit, non tantum de posteritate sua, sed remissionem peccatorum.

Tales sententiae passim obuia apud Augustinum, satis ostendunt cum de gratia & de fide idem sentire quod nos docemus, Sicut etiam de spiritu & litera inquit: Ex lege timemus Deum, per fidem autem confugimus ad misericordiam. Hic diserte discernit legem & Euangelium.

PHILIP; MELANTH.

Etsi autem interdum in eius scriptis figurae orationis occurrunt non satis explicatae aut incommodae, haec temporibus condonandae sunt, quia vulgi consuetudo quasdam figuras receperat, ut appellationem meriti, & alias quasdam, & has explodere docti non poterant. Deinde nec ipsi Scriptores satis assuefacti fuerunt ad accuratas disputationes, & quanta tunc fuerit caligo in Ecclesia, inde aestimari potest, quod Pelagij impia opinio tanto cum plausu excepta fuit, ut Augustinus & pauci quidam alij non sine magnis certaminibus eam rursus ex Ecclesijs explodere potuerint.

Ceterum de caeremonijs si quis etatem Augustini nobis opponit, sciat, ne ipsi quidem Augustino placuisse omnes ritus & persuasiones sui temporis. Queritur enim multas superstitionas opiniones haerere in Ecclesia, anteferrè humanas traditiones praecipis Dei, & sic cummulatas esse caeremonias, ut Iudaeorum seruitus tolerabilior fuerit, quam Ecclesiae. Verba eius haec sunt ad Ianuarium Epistola 119. Ipsam tamen religionem, quam paucissimis & manibus festissimis

DE ECCLESIA.

festissimis celebrationū sacramentis, misericors
dia Dei esse liberam uoluit, seruilibus oneribus
premunt, ut tolerabilior fuerit conditio Iudeo-
rum, qui tamen diuinis legibus, non humanis,
subditi erant. Et primum de ritibus humanis
inquit: Totum hoc genus rerum liberam habet
observationes. Deinde diserte iubet inutiles ritus
humanos præcidi. Ergo non ita probat Au-
gustinus cæremonias sui temporis, ut Ecclesiam
ad eam normam constitui uelit, Multa
enim recepta erant, quæ ne ipse quidem probat,
imo reprehendi & corripere uult, quædam more
illius temporis obseruat, ut omnes præsentibus
moribus multa condonamus.

Huius ætate percrebescere Sermones de
purgatorio cœperunt, quos ipse nec refutat nec
confirmat, tantum narrat, inquit, quosdam
sic existimare purgari animas piorū, postquam
discesserunt à corporibus. Sed libro confessionum
9. petit his uerbis precationem pro morte
tua matre: Inspira Domine seruis tuis, ut ad
ad altare meminerint matris meæ & patris,
Nec petit amplius. Quanquam autem hoc uer-
recunde

PHILIP. MELANTH.

recunde dicitur apud illum, tamen nunc seceſte
detorquetur ad oblationem ſacramenti pro
mortuis, qualis nondum fuit Auguſtini tempe
re.

Fuerunt & uota uſitata eo tempore, &
queſtio incidit, an coniugia poſt uotum contra
cta diſſolui debeant. Hac de re extat ſententia
Auguſtini in decretis 27. q. 1. C. nuptiarum.
Hic & ſi Auguſtinus plus tribuit uotis quàm
conueniebat, tamen pronunciat coniugia poſt
uotum contracta non eſſe diſſoluenda, & affir
mat uere eſſe coniugia, quia altera perſo
na non debet cum inuria alterius redire ad uo
tum. Nec fit obligatio irrita inter duas perſo
nas, etiamſi altera attulit mutationem prioris
propoſiti. Hæc in ſumma dicit in eo textu. Sed
plus ualuit error de uotis, quàm hæc mitigatio
Auguſtini. Ideo conſtitutiones poſtea ſecutæ
diſtraxerunt coniugia. Vidit Auguſtinus illam
diſtractionem uicioſam eſſe, ſed non ſatis conſi
derauit, quid in ipſis etiam uotis uitij fuerit,
quod erat obſcurius. Vincebatur enim uulgarè
bus opinionibus ſui ſeculi. Iam mos receptus
erat faciendi uota. Magna erat admiratio mul
torum

DE ECCLESIA.

torum in eo uite genere degētium. Admiratiō
autem iudicio officit. Non igitur disputabat, ut
ualerent uota, cum quidem multi essent errores
impliciti illis, habebantur pro cultibus, pro sin-
gulari merito iusticiæ, pro perfectione, item
plerisq; erant impossibilia. Hæc si prius resua-
tasset, melius prohibere distractionem coniugio-
rum potuisset.

Constat igitur multos abusus illa ætate iam
hæsisse in Ecclesia, quorum & si aliquibus ad-
uersatus est Augustinus, tamen aliquos boni
consuluit, qui postquam reiecti sunt, non debent
defendi. Deinde etiam si ueterum exempla suo
tempore dissimulata sunt, tamen nunc ad confir-
mandos maiores abusus nequaquam accommo-
dari debent, ut nequaquam ualet consequentiæ.
Augustinus iubet ad altare precationem fieri
pro matre, Ergo approbandæ sunt Misse pro
mortuis. Aut: Augustini tempore quidam arbit-
rabantur esse purgatorium, Ergo approbandæ
sunt Misse, indulgentiæ, & alia foundationes
pro mortuis excogitatae. Nam Augustini tempo-
re nondum erant hæ prodigiose impietates,
& si paulatim semina sparsa sunt. DI